

VI. M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

•Sulpicio, congressum petenti, respondet, suamque cum illius voluntate convenire, demonstrat, et desperatum reipublicae statum deplorat. Scripta est epistola, cum Caesar, in Hispaniam regressus, Pompeji legatos oppugnaret. •

Cajus Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quaesisse, quibus in locis essem: molesteque te ferre, quod me propter valetudinem tuam, cum ad urbem accessissem, non vidisses; et hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profecto aliquid opis occidenti reipublicae tulissemus. Cognoram enim jam absens, te, haec mala multo ante providentem, defensorem pacis, et in consulatu tuo, et post consulatum fuisse. Ego, autem cum consilium tuum probarem, et idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Sero enim veneram: solus eram: rudis esse videbar in causa: incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil jam videbimur posse optulari reipublicae, si quid est, in quo nobismet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quam honestissime lugeamus: nemo est omnium, quicum potius mihi, quam tecum communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, praecepta te fugiunt: atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne ejus animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, me cum rogaret, ut adessem in senatu, eadem omnia, quae a te de pace, et de Hispanis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Res videas quomodo se habeat: orbem terrarum imperiis distributis ardere bello: urbem sine